

legibus suis promovebat obedientiam erga Principes, qui suis satisfaciebant obligationibus. Ecclesia vero protegens treugas conventionales juramento munitas mitigabat ardorem bellorum quæ media ætate frequentissima erant inter principes et inter respublikas.

4. Quem finem studuit Ecclesia præcipue obtinere statuens in Conc. Lateran. III. ut certis temporibus, nempe a feria IV. post occasum solis, usque ad feriam II. in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ ob mysticas significationes et ob sacrum tempus servarentur induciæ et arma silerent, ita ut qui contra canonem auderent bella suscipere, in maledictum Ecclesiæ post trinam admonitionem inciderent *c. 1. h. t.* Istæ induciæ appellatæ sunt *treugæ Domini*, et constitutæ fuerunt contra bella privata quæ a legibus nec probabantur, nec condemnabantur; non autem contra bella justa, auctoritate publica suscepta. Ita *Gonzalez ad c. 1. h. t. n. 9. et 18. et alii.* Statuit insuper Ecclesia *c. 2. h. t.* ut tempore belli Clerici, Religiosi, peregrini, mercatores, rustici addicti agriculturæ et animalia quoque servitio agrorum occupata plena immunitate et securitate gauderent. Verum hæc historice dicta sint, contraria enim consuetudine factum est ut hæc canonica dispositio suo robore careret.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

1. Aliquid dicendum de notione pactorum ex jure civili deprompta. Leges civiles ex innumeris conventionibus, quæ inter homines perfici possunt, quasdam easque usitatiores elegerunt, quibus civilem obligationem adnectere voluere. Id autem non importat, cæteras conventiones a jure civili fuisse rejectas, sed solummodo eis non fuisse concessam actionem civilem ita ut regi deberent sola paciscentium fide. Conditores enim legum Romanarum quædam civium probitati relinquere voluerunt potius quam omnia vinculis et necessitate legum complecti. Conventiones quæ obligationem civilem pariunt appellantur *Contractus*, reliquæ vero conventiones quæ hac obligatione destitutæ sunt, nomen generis retinuerunt et pacta dicta sunt. Pactum ergo juxta Ulpianum *L. 1. § 2. ff. De Pactis* est 'duorum vel plurium in idem (seu in eandem rem) placitum et consensus'.

2. Porro contractus ideo civiliter obligant, quia leges civiles in ipsis agnoscunt causam obligationis, quæ vel est in consensu, et contractus dicuntur *consensuales*, vel in re, et *reales*, vel in verbis solemnibus, et *verborum obligationes* dicuntur, vel in literis, et *literales* appellantur. Inter hosce contractus nonnulli, cum primum inducerentur, proprium nomen sortiti sunt, alii vero minime. Quare alii dicti sunt *contractus nominati*, alii vero *innominati*. Nominati qui et nomen et causam habent obligationis, innominati qui causam tantum habent. Causa hæc in contractibus innominatis est datio vel factum a lege probatum et habitum uti capax producendæ obligationis. Obligacioni civili respondet *actio*, idest jus alicui competens persequendi in judicio, quod sibi debetur. Ergo contractus actionem civilem pariunt. Igitur Jure Romano pacta, quæ in genere conventionum permanserunt, nec obligationem civilem nec actionem producebant; destituebantur enim et nomine et causa *L. Juris gentium § Sed cum nulla ff. h. t.* Verum pacta admissa sunt ut producerent exceptionem *L. 1. ff. h. t.* Is ex. gr. qui per pactum convenit super aliqua re, si deinde actionem intentet contra fidem datam, potest exceptione pacti repelli. Immo pactis adjectis contractibus, quæ dicta sunt *non nuda*, concessa est actio ipsi contractui propria. Ex. gr. si contractui emptionis et venditionis adjiciatur pactum de pretio solvendo in aliqua designata civitate, executio hujus pacti peti potest a venditore mediante actione empti venditi. Insuper quædam pacta specialia a lege agnita sunt, et *legitima* appellata fuere, quæ actionem ex lege illa approbante producant. Cætera vero pacta, quæ *nuda* dicuntur, et sunt meræ conventiones, actionem ex legibus romanis non gignunt.

3. Sed quæritur utrum ex lege canonica omnia pacta veram et publicam obligationem habeant, ita ut detur actio ad coercendum illum qui datam fidem violare nititur. Et quidem *c. 3. h. t.* judex studiose debet agere ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. At clarius in *c. 1. h. t.* dicitur ut pacta custodiantur, idest jus canonicum pacta adprobat et vult ea servari. Verba illa autem *c. 1. h. t.* 'aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam' exprimunt, conventionem quamcumque etiam in foro externo Ecclesiæ juridicum valorem obtinere, et per consequens ex pacto coram judice licet proponere querelam et actionem ad adigendam contrariam partem ad fidem datam servandam. Ratio est quia jus canonicum potius quam formulam respicit rei veritatem et juris naturæ exigentiam.

4. At pactum confundendum non est cum pollicitatione. Pactum enim est conventio duorum vel plurium, pollicitatio autem est sponsio seu promissio unius in favorem alterius. Ex quo sequitur 1^o. pactum obligare utramque partem paciscentem, si conventio sit bilateralis, pollicitationem vero obligare solummodo promittentem; 2^o. pactum ex ipso facto positi consensus obligationem gignere, pollicitationem vero non obligare ipsum promittentem, nisi promissio signo aliquo externo fuerit ab alia parte acceptata. Nam hæc altera pars nullum jus acquirit antequam per consensus sui manifestationem ligaverit promittentem. Votum vero cum sit promissio de bono meliori et possibili, statim obligat, quia præsumitur a Deo illico acceptari.

5. Quæri potest: quinam pacisci possunt? Resp. omnes qui satis intelligunt valorem conventionis, nec a lege specialiter prohibentur. Prohibentur vero pacisci prodigi, interdicti, filiifamilias de rebus paternis, pupilli et minores absque consensu tutoris vel curatoris, quando agitur de alienatione bonorum § 1. *Inst. De Auctor. tutor. et L. Si Curatorum C. De in integr. restit.* Clerici in genere circa alienationem rerum ecclesiasticarum, prout melius declarabitur in Lib. III.

6. Quæritur: potestne quis in tertiæ personæ favorem pacisci? Regula generalis negativa traditur in *L. Stipulatio ista § alteri ff. de Verb. Oblig.* ubi dicitur 'inventæ sunt stipulationes vel obligationes ad hoc ut unusquisque acquirat sibi quod sua interest'. At exceptio datur 1^o. Si paciscens habeat a tertia persona mandatum, 2^o. si is pro quo pactum seu stipulatio inicitur subjectus sit paciscenti, ut est filius patri, 3^o. si agatur de re cujus interest ipsum paciscentem ex. gr. si tutor cedens contutori res pupilli pactum ineat in securitatem earundem rerum favore pupilli.

7. Si quærat quodnam sit objectum pactorum, responderi potest quamlibet rem honestam et possibilem. Possibilem, nam ex regula *Nemo C. Juris in 6.* nemo potest ad impossibilia obligari; honestam, nam obligatio est vinculum juris et rationis, quod locum habere nequit ubi iniquitas reperitur. Hinc quædam pacta reprobantur: 1^o. Pactum pro re spirituali obtinenda *c. ult. h. t. et c. 5. de Rer. permut.* Hoc vero pactum reprobat ob labem simoniæ, quæ esse potest in casu. At ubi labes hujusmodi simoniæ removeatur, non censetur prohiberi pactum. Ex. gr. si unum opus spirituale debitum cum alio opere spirituali per pactum commutetur.

2^o. Reprobantur pacta ceu nullius valoris quæ respiciunt resignationes beneficiorum pro aliquo temporali faciendas *c. 4. h. t. simoniacum* enim est. In hoc genere pactorum venit etiam pactum resiliendi a quæstione super beneficii assecutione cum onere solvendi expensas omnes. Nec pariter valet pactum quo Clericus promittit pensionem vel augmentum pensionis si instituatur in beneficio *c. 23. de Simon. et c. 6. h. t.* Et in genere non valent pacta, quæ vel veram simoniam important, vel periculum simoniæ inducunt. Ecclesia enim prohibet illos actus in quibus verificari potest periculum simoniæ juris divini, prout in Lib. V. tit. De Simonia probatur. 3^o. Non valet pactum de successione in ecclesiasticis beneficiis ex. gr. si beneficia concedantur Clericis cum pacto seu modo, ut post eorum obitum in beneficio alii nominatim succedant *c. 5. h. t.* — 4^o. Reprobantur pacta quæ juri publico et præsertim Ecclesiarum præjudicium inferunt, ut ex *cap. 7. h. t.*

8. Occasione *c. 2. h. t. in 6.* quæstio a Doctoribus proponitur: utrum auctoritas humana possit pacta irritare, quæ inspecto jure naturali valida essent, et utrum hæc irritatio vires suas exerat in solo foro externo, vel etiam in foro conscientiæ. Procul dubio nemo negare potest supremam auctoritatem tum ecclesiasticam tum civilem in propria respectiva negotiorum provincia quasdam conditiones et solemnitates exigere posse ut aliquis actus vel aliqua conventio legitima sit, et valorem juridicum assequatur. Hinc omnis difficultas evanescit, si quæstio proposita ad solum forum externum coarctetur. Quid vero de foro interno dicendum? Pariter dubium nullum est, si sermo sit de legibus ecclesiasticis irritantibus aliquod pactum. Scilicet pactum hoc nullam vim habet etiam in foro interno. Quia Ecclesia in legibus suis totum hominem dirigit. Si autem agatur de legibus civilibus, hæc a Doctoribus uti tuta responsio exhibetur. Scilicet si lex civilis ob bonum publicum, et ad evitanda gravia pericula in societate aliquod pactum irritat, nec cæteroquin lex ipsa rationi et æquitati evidenter repugnat, aut peccatum foveat, irritatio protenditur etiam ad forum internum. Addimus vero saltem irritationem hanc adeo valere ut bonus fidelis, tuta conscientia possit uti jure quod ei a lege conceditur. Leges enim civiles justæ in materia civili, etiam quoad conscientiam regulam legitimam et tutam constituunt. Jus Canonicum hoc principium recognovit. Nam in *c. 2. h. t. in 6.* quærebatur utrum filia teneretur observare pactum factum patri dum nuptui tradebatur,

ut, dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet. Hoc pactum, uti notat Pontifex in cap. reprobatur a lege civili Romana, ut patet ex *L. Pactum C. de Collationibus*. Jamvero Pontifex quæstioni respondet, filiam teneri ex juramento, si eidem pacto juramentum adjectum fuerit. Ergo per se irritatio hujus pacti, facta a lege civili, mulierem eximit a qualibet obligatione, et non obstante pacto, ad bona paterna regressum petere potest. Ergo jus canonicum vim legis civilis etiam quoad forum internum recognoscit. Quid vero dicendum sit de juramento, ejusque observantia in casu, explicamus in Lib. II. in tit. XXIV. de Jurejurando.

9. Tandem occasione *c. 2. h. t.* quæritur utrum pactum invalidum per consensum superiorum validum reddatur. Cit. Caput ita sumatur 'Conventio invalida per consensum superioris validatur'. Quare in præsentī re habemus canonicam regulam. Hanc vero regulam ita explicant Doctores, inter quos *Layman ad c. 2. h. t.* Videlicet si invaliditas procedat ex ipso jure naturali, ita nempe ut pactum vel etiam alius actus nullo modo, nec ipso jure naturali inspecto, sit validus, hac in hypothesis neque a Supremo principe in societate potest convalidari. Confirmari enim non potest quod nullo modo est *L. Duo sunt Titii ff. de testamentar. tutela*. Si autem pactum vel actus jure naturali consistant, et non valeant solummodo vi legis positivæ humanæ, princeps in societate potest consensu suo defectum auferre, et pactum vel actum validum reddere. Hoc in sensu explicandum est *c. 2. h. t.* cui plene concordat *c. 1. de transact.*

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

1. Transactio est unus ex modis quibus causa litigiosa finitur: verum stricto et proprio sensu sumpta ceu medium juridicum peculiare quæstionum finiendarum definitur in *L. 1. ff. h. t.* 'rei dubiæ et litis incertæ nec finitæ, conventa et non gratuita decisio'. Explicanda. Transactio est decisio *rei dubiæ*. Hæc verba duplicem vim habent, 1^o. nempe posse transigi in re dubia nondum incepto iudicio; dum scilicet timor est actualis litis futuræ. 2^o. Objectum transactionis dubium aliquod offerre debere; nam de re certa transigi nequit; et qui certo sciens rem aliquam sibi non spectare transegit, super ea aliquid recipiens, adstringitur etiam in foro ex-

terno onere restitutionis *L. 6. § 1. ff. de Condit. indebiti* et glossa in *c. 7. h. t. v. dato* a Doctoribus recepta. Quoad vero forum internum, restitutionem faciendam esse patet ex eo, quod, qui recepit aliquid in casu, illud recepit et retinet absque titulo. — Dicitur dein '*et litis incertæ et non finitæ*'; quia lite finita per sententiam definitivam iudicis, quæ transiit in rem iudicatam, transigi amplius non potest. Excipitur tamen casus quo timeatur prudenter concessio restitutionis in integrum. — *Conventa*. Transactio enim ex partium conventionione procedit, et enumeratur inter contractus innominatos bilaterales, quo nempe aliquid datur vel remittitur, ut alia pars vicissim aliquid det vel remittat ad quæstionem finiendam. Ex hac proprietate transactionis descendit non iudicem sed partes eandem perficere. Et sane officium iudicis est quæstiones dirimere decernendo cuinam parti competat bonum jus, non imponere transactionem iisdem. Utique tribunalia suprema, prout in quæstionibus quoad meritum in ditione temporali S. Sedis erat tribunal s. Rotæ, aliquando rescribere possunt 'placere de concordia'. At id rarissime accidit, et non nisi in quæstionibus præsertim fideicommissariis quæ implicabantur magnis difficultatibus et obscuritatibus. Quo insuper in casu non inicitur una transactio, sed potius a iudice ipso applicatur canon ille, ut nempe cum causa neque probabilis est pro utraque parte litigante, officium iudicis sit dividere et adsignare litigantibus partem rei divisibilis, aut rem indivisibilem eisdem tradere ut in solidum ea fruantur. — Tandem '*non gratuita decisio*'. Nam in transactione aliquid debet dari vel promitti, aliquid retineri; secus enim esset cessio, renunciatio vel donatio *L. 38. c. h. t.* Quæ ita se habet 'transactio nullo dato vel retento seu promisso, minime procedit'. Hinc adagium forense, ut nempe in transactionibus debeat adesse aliquid hinc inde remissum.

2. De divisione transactionis. Transactio alia est universalis, alia generalis, alia specialis. Universalis respicit omnes causas quæ intentatæ sunt, vel prudenter timetur ne intententur, quamvis sint diversi generis idest non ejusdem tituli sed diversi. Generalis seu minus universalis ea est quæ complectitur causas ejusdem generis licet inter se distinctas, ex. gr. si transigatur in omnibus quæstionibus, quæ quandam aditam hæreditatem respiciunt. Specialis transactio locum habet cum controvertitur de aliqua re determinata, deque determinato titulo quæstionis. Transactio vero si ei